



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
lesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

XXXI. Vtrum habitus Fidei sit vnus specie infima?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

subtilis, aut profundius excogitari potest, utpote enucleantibus integrè prædicatum proprium & præcipuum istorum actuum proveniens ex motivo formali eorum proprio, & quod ex nullo alio motivo potest provenire.

Art. 6. Possent nihilominus paulò aliter definiri isti actus accommodatè ad captum vulgarem: imperium efficax piæ affectionis est appetitus efficax bonorum pendentium ex familiaritate Dei, & submissione intellectus ad eius auctoritatem: Fides intellectualis est assensus rei latentis propter primam veritatem reuelantem. Posterior ista definitio est clarissima ex dictis supra. Prior verò habet magnum fundamentum in D. Thoma quæst. 14. cit. de verit. art. 2. ad 5. & 10. & reddetur clarior ex dicendis infra circa motuum formale spei. Nempe actus iste piæ affectionis mouetur, ac dirigitur delineatione quadam rudi eorum bonorum, quæ distinctius, & exactius postea proponuntur spei per fidem, atque ad volendum credere nos impellit eorum infusio bonorum, quorum promissio impellit ad sperandum: cuius rei typum ponit ob oculos venustè, doctè, & luculenter, atque cum succo solidæ pietatis P. Didacus Ruiz de Montoya tract. 3. de exord. prædest. disp. 25. sect. 2. & 3. exemplo Samaritanæ, & aliorum.

Art. 7. Ex definitione data, & expositionibus eius deducitur, omnes actus fidei diuinæ, siue publicæ, & communis, siue priuatae, & quomodocumque habitæ, esse eiusdem infimæ speciei, loquendo Theologicè. Quia omnium est vnum, & idem motuum formale adequatum, nempe prima veritas reuelans, à qua habent totam suam perfectionem propriam, & peculiarem eorum, quatenus sunt assensus fidei. Dicitur autem quatenus sunt assensus fidei; sub qua ratione à Theologo considerantur, quia iam supra innotuit, posse illos multipliciter inter se differre logicè, quoad prædicata communia fidei cum aliis actibus, qui non sunt fidei, quod ipsum apparebit clariùs quæst. seq. Quapropter definitio Apostoli; & aliæ illi adiunctæ accipiendæ sunt de fide secundum eius prædicatum proprium, & peculiare formaliter, quatenus fides diuina est; atque hoc modo exprimunt speciem eius infimam adequatè, ac proinde sunt definitiones legitime; maxime verò ea, quæ traditur ab Apostolo, ut liquet ex notationibus præmissis circa ipsam.

Ad 1. Motuum fidei est occultissimum respectu nostri intellectus, & est manifestus in suo effectu experimentaliter nobis noto, ut dictum est quæst. 28. præsertim ad 3. & quæst. 26. ferè per totam. Vnde Apostolus vsus est artificio admodum accommodato capacitati humanæ, manifestando motuum fidei per effectum eius specialissimum magis notum, quàm sit ipsum motuum secundum se. Quia arte non est opus ob contrariam rationem pro definitione aliarum virtutum maxime naturalium. Obiecta autem materialia exprimuntur, quia effectus motui formalis non potest exponi nisi relatè ad illa, eademque sub conceptu sperandorum, & non apparentium sunt notissima.

Ad 2. Actus piæ affectionis mouetur præsentè Dei bonitate, quatenus fundante spem futurorum bonorum, & circa res vitandas versatur præcisè quatenus opponuntur rebus sperandis. Omnia igitur optime comprehenduntur sub conceptu rerum sperandarum, quatenus pertinent ad affectionem fidei.

Ad 3. Sæpè cõtingit, res meliùs, & perfectiùs notificari per voces metaphoricæ, quàm per proprias, propter obscuritatem ipsarum rerum, & defectum propriarum vocum, coniunctum cum clara, & facili perceptibili accommodatione ad rem, de qua agitur, ex adiunctis aliis vocibus secundum propriam significationem usurpatis, atque ita accidit in præsentè, ut

liquet ex declaratione particulæ *substantia*, quæ data est ex D. Thoma cuius clarissimè perceptibilis.

Ad 4. Dum fides dicitur, *Argumentum non apparentium*, ex adiuncta particulæ, *non apparentium* manifestè deprehenditur, *Argumentum* non poni in definitione, quoad prædicatum determinantis intellectum, & facientis firmiter adherere veritati, quod idem est proprium Argumenti.

QVÆSTIO XXXI.

Vtrum habitus Fidei sit vnus specie infima.

Videtur non esse. 1. Quia multi actus fidei sunt practici, & multi alij sunt speculatiui. Nam fides de præceptis, & consiliis Euangelicis mouet ad exercendos actus præceptos, & consultos, estque prædita vi illos executioni mandandi. Eadem est ratio de Fide amabilitatis Dei, & de aliis similibus. E contra Fides de Mysterio Trinitatis, & Incarnationis de existentia Dei, & aliis eiusmodi non est de obiecto, quod ex vi eius cognitionis possit mandari executioni, neque quantum est de se præcisè mouet ad aliquem actum voluntatis exercendum, aut ad exequendum aliquid aliud. Vnde posteriores isti actus sunt speculatiui, priores verò practici. Oportet autem cognitiones speculatiuas procedere ab actu speculatiuo, & practicas à practico. Atque ex sententia Philosophi, aliorumque communi, habitus speculatiuus distinguitur specie ab habitu practico. Oportet igitur ponere duos, ut minimum habitus Fidei specie inter se distinctos.

2. Dæmones retinent habitum fidei; iuxta illud Iacobi 2. *Dæmones credunt, & contremiscunt*. Non autem retinent habitum eiusdem speciei cum eo, quem nos habemus, & ipsi habuere, dum essent in via; quia hic habitus est supernaturalis, & ex se intrinsecè potens perducere in vitam æternam: Quale nihil Dæmonibus inest. Habent igitur alium habitum Fidei specie distinctum à nostro.

3. Habitus virtutis distinguitur specie ab habitu, qui non est virtus. Datur autem habitus fidei, qui non est virtus, necnon cui conueniat ratio virtutis. Nam habitus fidei informis, seu separatus à charitate non est virtus: Est verò virtus fides formata; seu, quæ coexistit charitati, ut docet cum D. Thom. in hac 2. 2. quæst. art. 5. quam plures alij. Ergo fides non est vnus habitus secundum speciem infimam.

Art. 1. Resp. Quæ de habitu fidei disputari solent ferè omnia determinata iam sunt ex dictis hucusque: Nam existentia eius, eiusdemque infusio, dispositio ad hanc infusionem requisita ex parte nostra; quando & qua infundatur, & augeatur; ad quos actus eius causalitatis extendatur, & in quibus circumstantiis; aliæque eiusmodi constant ex dictis vsque ad quæstionem 13.

Art. 2. Similiter constat ex dictis vsque ad quæst. 22. Obiectum adequatum remotum huius habitus, prout complectens formale, & materiale, esse omne occultum, & actualiter imperuium rationi naturali, visioni, ac scientiæ: Proximum verò esse omne reuelatum à Deo obscure: Rationem formalem sub qua obiectiuam esse reuelationem, seu reuelabilitatem diuinam: intentionalem verò rationem formalem sub qua conuenientem obiectis relatè ad actus, & per denominationem ab actibus eiusdem habitus, esse credibilitatem absque formæ line. Iam quæ ab eadem quæst. 22. vsque ad præsentem dicta sunt, circa prædi-

carata essentialia, & proprietates actuum fidei, traduci facile possunt in habitum, illique proportionaliter accommodari; maxime verò fidei definitio proximè tradita; vix enim aliquid differunt quoad formam definiendi: qua de causa aliquando actus, aliquando habitus inibi in nostra expositione promiscuè positus est.

Art. 3. Denique hoc ipsum, quod modò quæritur, responsum habet facilem, & claram, ex dictis circa motuum formale. Impossibile namque est habitus specie multiplicari, quin multiplicetur specie realiter, vel saltem ratione obiectum formale motuum habitus. Dictum autem est obiectum formale motuum fidei esse vnicum, & simplicissimum re, & ratione. Ergo habitus fidei est vnicus tantum secundum speciem infimam. In cuius rei yberiolem confirmationem videri potest quæst. 3. præsertim ad 2. & 3.

Ad 1. Tam actus, quam habitus naturales speculatiui, & practici specie differunt inter se; quia qui practici sunt, habent pro obiecto formali motiuo ipsum opus, exequibile vi ipsorum. At qui sunt speculatiui, mouentur obiecto non exequibili per ipsos. At actus fidei, tam practici, quam speculatiui habent idem adequatum obiectum formale; solumque differunt ex parte obiecti materialis, ex quo nequit resultare diuersitas specifica præterquam purè logica. Quam diuersitatem purè logicam inesse multis actibus fidei concessum nuper fuit in quæst. proximè præcedenti, & conuincit ratio obiectionis, nihil verò conuincit amplius, vt liquet ex loco cit. quæst. 3.

Ad 2. Nec Dæmones, nec Angeli habent habitum fidei propriè, & strictè talis; Angeli quidem, quia nullus actus fidei exerceri potest à Beato, vt liquet ex quæst. 25. Et frustra daretur habitus non redigendus in actum per totam æternitatem, nec esset decus, & ornamentum status beatifici habitus ita otiosus, & prius status miseri, atque hominis peregrinantis, & habitantis in tenebris. In Dæmonibus verò, quia Fides diuina propriè talis est ex suo conceptu supernaturalis, vt liquet ex quæst. 26. Vnde quod dicitur, Dæmones credere, & contremiscere, accipiendum est cum D. Thoma; aliisque communiter de fidei ratissime, & improprie sumpta pro assensu innixio tanquam motiuo suo formali indiciis, & argumentis veritatis nostræ fidei, quatenus ex ratione naturali, & partim experientia assequi possunt. Quia verò agnoscunt illa volentes de magnitudine eorum, & vi inducendi Fidem verè diuinam in alios, propterea, vt notat D. Thomas in præsentī quæst. 5. art. 2. deterius peccant, quam infideles viatores. Vnde conicitur subiectum habitus fidei esse solam substantialem rationalem purè viatricem.

Ad 3. Virtus aliquando sumitur pro habitu disponente ad actum bonum, & perfectiorem eius, cui inest: Aliquando verò sumitur pro habitu dispositiuo perfecti ad optimum. Quia igitur habitus fidei etiam informis, ac separatus à Charitate disponit ad actus solum veros, & perfectiores eius, cui inest, propterea iuxta priorem vsurpationem virtutis, tunc etiam est virtus. At iuxta posteriorem virtutis significationem, quæ placet, D. Thomæ, & est absolute retinenda, idem habitus non est virtus, quando est seiunctus à Charitate. Quia non habens Charitatem, absolute est indispositus ad optimum, id est, ad vltimum finem. Cæterum in vtroque euentu Fides est eadem intrinsecè qualitas non solum specie, sed etiam numero, & quòd sit, vel absolute, vel tantum secundum quid virtus sunt denominationes extrinsecæ.

QVÆSTIO XXXII.

Vtrum sit de conceptu actus Spei, & Charitatis actualis dependentia à directione Fidei?

¶ IDETVR non esse. 1. Quia ratione naturali cognoscitur Deum esse omnipotentem. De causa autem omnipotentis cognita, vt omnipotenti, potest concipi spes quantūlibet magna, tam quoad magnitudinem obiecti sperati; quàm quoad firmitatem ipsius spei. Ergo nulla vilius doni diuini spes dependet essentialiter, ac determinatè à directione fidei. Eadem autem videtur esse ratio de Charitate.

2. Cum Deus, vt auctor naturalis possit plura beneficia liberè conferre, vt dictum est quæst. 6. maxime verò quæst. 9. de Gratia, & fusiùs quæst. 29. de Deo poterit proculdubio eadem etiam promittere. Quid enim impedire potest, quo minus promittat agentem liberum, sui que plenissimè iuris, quod liberè potest, & conferre, & negare? Quòd si Deus, vt auctor naturalis promittere potest homini, potest vtique, & homo naturaliter cognoscere promissionem diuinam. Quia promissio, præsertim diuina, non cognita promissario est chymica; cum voluntas dandi constituitur formaliter in ratione promissionis, per voluntatem manifestandi se accepturo. Si autem Deus cognitus, vt promittens non est sufficiens ad erigendam, & terminandam spem hominis propriè talem, nihil ad eam sufficiens dari potest ex parte Dei, vt patet consideranti. Ergo Deus, præcisè, vt auctor naturalis, potest mouere, & terminare spem nostram propriè talem.

3. Quæcumque Catholici per fidem infusam credimus Deum, aut posse facere, aut etiam promississe faciendam, possunt similiter credere Hæretici, & alij Infideles per fidem acquisitam, & intrinsecè naturalem; solumque est discrimen, quoad maiorem, vel minorem certitudinem. Appetitus autem æquè exurgit in bona, siue probabiliter, siue certò cognita. Atque hoc vt minimum videtur euidentem, si idem obiectum formale voluntatis ab vno cognoscatur per cognitionem tantum probabilem, & ab alio per cognitionem euidentem, ab vtroque appeti posse idem obiectum formale, atque adeò per actus eiusdem speciei. Certitudo namque, & incertitudo, vt variare valeant intensiorem, aut prædicatum aliquod accidentale actus voluntatis; variare tamen nequaquam possunt formalitatem obiecti: siquidem eadem vtique subsistit. Ergo concipi possunt dependentem à fide naturali, & purè humana, actus Spei, & Charitatis eiusdem infimæ speciei, ex parte obiecti, & motui formalis, cum iis, qui concipi possunt dependentem à fide infusa, & supernaturali: quandoquidem Infidelis potest credere ob auctoritatem hominis fidelis, quæcumque is credit propter auctoritatem diuinam.

4. Deus, vt auctor naturalis, præditus est tanta bonitate tum absoluta, tum relatiua: siue tum respectu sui, tum respectu aliorum; quanta præditus est, vt auctor supernaturalis. Quia sub vtralibet ratione inest, & cognoscitur inesse bonitas simpliciter infinita. Ergo Deus, vt auctor naturalis mouere potest ad eundem omnes, & æquè perfectos actus voluntatis, atque potest mouere, vt auctor supernaturalis. Innotescit autem per rationem naturalem, & fidem humanam, vt auctor naturalis.

5. Actus misericordiæ exerciti erga pauperem verum, & euidentem cognitum, vt talem, & exerciti erga